

CCXXXVI.

1720. die 28. Augusti. Viennae.

Carolus III. Rex contractum, inter Cameram Interioris Austriae et Croatiae Status ratione bonorum Zrinjiano-Frangepaniorum innitum, confirmat.

CAROLVS VI. DEI gratia electus Romanorum Imperator Semper Augustus, ac Germaniae, Hispaniarum, Hungariae, Bohemiaeque &c. Rex.

Reverendi, Honorabiles, Spectabiles ac Magnifici, Magnifici item & Egregij, Nobiles, nec non Prudentes ac Circumspecti, Fideles Nobis dilecti. Rite meminerint Fidelitates Vestrae, qualemnam Contractum circa Bona Maritima Zrinjiano- & Frangepano-Fiscalia, alioquin legitimo Venditionis Titulo per Fiscum Regium in Interioris Austriae Cameram Suo modo translata, in Anno adhuc Domini 1695 cum modofata Camera iniverint. Contra cujusmodi Transactionem & quidem ratione onerum Extraordinariorum a praespecificatis Bonis in medium Fidelitatum Vestrarum praestandorum, dum nonnulla gravamina ex parte praelibatae Camerae Genitori nostro desideratissimo gloriosae memoriae Imperatori & Regi Leopoldo demisse repraesentata extitissent, Eidem benigne visum fuit, Sub Dato Diei Decimae Mensis Martij Anni 1703 clementer resolvere: Ut praetacta gravamina in novo Congressu, isthic Viennae Austriae instituendo, examinentur & juxta aequum & justum tollantur. Et licet istiusmodi Congressus eorum, aut exposit etiam ob diversa eatenus intervenientia impedimenta institui nequivisset; Fidelitates nihilominus Vestrae ad implementum praeallegatae Transactionis coram Fidele nostro, Spectabile ac Magnifico Comite Joanne Draskovich de Trakostyan, Comitatus de Valpo Supremo Comite, Cubiculariorum nostrorum Regalium per Hungariam Magistro, Generali item Campi Mareschali Locumentente, Camerario & Consiliario nostro, contra praefatam Cameram nostram Interioris Austriae processerunt, Eandemque ex praetensa Ejusdem Contumacia in certa Summa Pecuniaria convinci curando, hujusmodi convictivam Sententiam per realem Bonorum Ozaliensium apprehensionem in majori parte in Executionem quoque summi fecerunt, resultante adhuc Executione Benigno Mandato nostro, attentandae cujuspiam in Bonis Cameralibus Executionis Suspensorio superveniente, usque ulteriorem eo in passu subsequendam Benignam Resolutionem nostram in Suspensio relictam. Quibus taliter gestis, ac tam Fidelitatibus Vestris, quam etiam praefatae Camerae nostrae sub decursu Anni proxime praeteriti 1719 demisse ad Majestatem nostram recurrentibus, & ex nonnullis in medium adductis rationibus, antelata quidem Camera nostra pro annullatione praedecaratae Sententiae contra se latae, per consequens etiam Bonorum modo praevio in Executionem sumptorum Re-